



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Jesus Passus Per Centuriam
Modorum Meditandi passionem Salvatoris nostri illustratus; cui
accesserunt Meditationes In Passionem Domini XLVI. - Juxta numerum
dierum Quadragesimæ

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066405

71. Considerando Passionem Domini, recognoscere, venerari & aliis piis
affectibus prosequi, in Passione & vulneribus Christi, ejusdem singulares
aliquas perfectiones, ac in eis Passionis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-45427

neas talibus effectibus invenerit, sive ut (verius dicam) perfecerit.

MODUS LXXI.

Septuagesimus primus meditandi Passionem Domini nostri Modus esse potest. In principis Jesu Christi Passi, aut Patientis membris ac vulneribus, recognoscere aliquam congruam & Christo dignam perfectionem, tum Christo indignam passionem, tum piissimam nostræ salutis operationem. Circa quodlibet tale Christi membrum consideratione & meditatione tantisper immorando, donec mens congruis veritatibus erudiatur, affectibus pascatur, virtutumque actibus perficiatur, prout animam gratia & unctio Spiritûs, nec non ipsius animæ pia devotio disposuerit. Appono compendiosam ejus modi designationem. Pes Christi sinister vulneratus est, qui omnia sustinet. Pes dexter vulneratus est, qui omnia possidet. Manus Christi sinistra faucia est, quæ omnia fecit. Manus Christi dextra faucia est, quæ omnia regit. Cor Christi vulneratum est, quod omnia vivificat, Caput Christi spinis horridum est, quod omnia coronat. Scapulæ Christi vulneratæ sunt, quæ omnia protegunt. Brachia Christi vulnerata sunt, quæ omnia amplexantur. Pectus Christi cruentum est, quod omnia fovet. Vultus Christi despectus est, qui omnia lætificat. Sanguis Christi effusus est, qui omnia redimit & abluit. Caro Christi lacerata est, quæ omnia pascit. Anima Christi afflicta est, quæ omnia sanctificat. Deus in carne passus est, qui omnia beatificat.

De-

S:
ope:
Jo
N

Devotus ergo Meditator coram Christo Passo & Crucifixo constitutus, singula horum quæ enumerata sunt, piè devotèque expendat: & v. g. ad pedem Christi sinistram constitutus, advertat quid Christus, qui est Potentia Patris, fecerit in cœlo & terra, & in omnibus abyssis. quòd cœlum ipsum, & terram, & maria, & omnia quæ in eis sunt fecerit. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, per eum facta sunt & sæcula, & Angeli, & Sidera, & Homines, & quidquid infra hos est. Hujus Christi Pes sinister vulneratus est, quasi quidam abyssalis thesaurus omnipotentia Dei apertus est. Hunc pedem prosterrendo se adoret, osculetur, pio fletu conspergat, admiretur, gratiarum actione repleat, laudibus coronet, intus in eum corde subintret, ac interiora ejus scrutetur. Ab hoc, imò sub hoc pede discat humiliari infra omnia, pati adversa corporis, & Animæ, & Fortunæ omnia: subjiciat se omnipotentia ejus, infatigabilis esse in labore pro eo, & in obsequio executioneque voluntatis ejus discat, constituat, incipiat, & nunquam desinat per omnia. Hoc aut simili modo progrediatur meditando circa alias Christi Passi partes. Veritatibus intellectum convincendo, affectibus voluntatem pascendo, effectibus seu operibus virtutum internis externisque instruendo, & perficiendo.

Ex hoc meditandi Passionem Domini modo, videtur illa Sancti Patris nostri Ignatii desumpta, & ab aliis plusculum aucta oratio.

O Divinitas Christi, inhabita me. O Persona Christi, indivina me. O Anima Christi, san-

Drus
Sicki
re: asce
m us II
V
8

sanctifica me. O Corpus Christi, salva me. O Cor Christi accende me. O Sanguis Christi, inebria me. O Aqua lateris Christi, ablue me. O Sudor & agonia Christi, conforta me. O Passio Christi, sana me. O Bone JESU, exaudi me. Intra vulnera tua absconde me. Ne permittas me separari à te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meæ, voca me. Et jube me venire ad te. Ut cum sanctis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

Hujus Orationis ad instar, devotio alicujus ex Doloribus Divinæ Matris talem confecit meditationem sive Orationem, quàm nec ingratam, nec inutilem pietati fore existimo.

O Afflictissima Virginis MARIE Anima, solare me.

O Dolentissimum Dei Matris corpus, conforta me.

O Amarissima Regina Cœli lachrymæ, purificate me.

O Gemitus Deiparæ, conterite me.

O Tribulatum cor Angelorum Dominæ, recrea me.

O Luctuosi Dominæ nostræ sensus, sanate me.

O Angustia Matris gratiarum, liberate me.

O Dei genitricis orbitas, associa me.

O Mors genitricis vitæ, vivifica me.

O MARIA amarum Mare, ab omni culpa & pœna, erue me.

O Martyrum Regina inservum & mancipium tuum recipe me, & in hora mortis meæ suscipe me: ut cum omnibus Dei electis, potissimumque tuis dilectis, diligam & glorificem te, in sæcula sæculorum. Amen.

Hujus

S:
ope:
TO
N

Hujus quoque Modi est Meditatio illa.

O Pes potentia, pro me vulnerati JESU, humilia me, exalta Te.

O Pes justitia, pro me vulnerati JESU, quamvis dignus sim, ne abjicias me.

O manus Gratia, pro me vulnerati JESU, sine te nihil sum, adjuva me.

O Manus Misericordia, pro me vulnerati JESU, Tibi soli peccavi, sicut potes, scis, & vis, miserere mei.

O Cor & Latus, pro me vulnerati JESU, sedes amoris, accende me, ut incessabiliter amem Te.

O Caput, Sedes Sapientia, pro me vulnerati JESU, illumina me, ut noverim Te, & noverim me.

O VERBUM Caro pro me factum, & in carne pro me passum, habita in me, & habitem in Te, in æternum & ultra. Amen.

Singulis hisce Punctis manifestum est, suas easque copiosas inesse meditationum, reflexionum, affectuum, propositorum, postulationum, virtutisque actionum materias: ut haud dubie multiplici cum spirituali fructu, atque gustu, pii meditatoris animus, eas versare possit; quod plenius ab experimento suo, quam à stylo meo, ut discat plurimum eidem exopto.

MODUS LXXII.

Septuagesimus secundus meditandi Passionem Domini Nostri Modus esse potest: Meditari eam tanquam admirabilem incredibilemque Christi Redemptoris & Hominis redempti concer-

Handwritten notes in the right margin:
 Dicitur
 Sicut
 me
 m
 us
 V
 8